MEDICAE FACVLTATIS DECANI

HERMANNI FRIDERICI TEICHMEYERI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMIAE, CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII SERENISSIMI DVCIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARII ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SOCII

PROGRAMMA INVITATORIVM

SECVNDVM

DE

CAAPEBA

SIVE

PARREIRA BRAVA

DISSERTATIONI INAVGVRALI

DE

AVRO

DIE XXI. IANVAR. M DCC XXX.



HABENDAE

PRAEMISSVM

LITTERIS MVLLERIANIS.





Aapeba, ſive *Parreira* brava, eſt planta, clematiti non abſimilis. Hinc clematitem ſarmentoſam vocant, quæ tenaci, ac perlongo ſarmento nunc vicinas arbores late adſcendit, nunc humi repit, nunc tenuibus, flexilibus, atque rotundis ſuis ſarmentis ſepes pene omnes coniungit, tegit, & quaſi occultat.

Hæc ſarmenta per alternas vices ad nodos, ſibi invicem ſatis contiguos, folium unum, raro duo protrudunt, quæ folia rotunda ferme ad figuram cordis reciſi accedunt. Folia ipſa, valde tenuia, &, quoad figuram, cum ariſtolochiæ noſtræ convenientia, ſuperius læte virent, inferius pallent, & perlongo, ac paulum ruffeſcenti pedunculo inſiſtunt. Magnitudo foliorum non ſibi ſemper reſpondet; alia palmæ manus magnitudinem ſæpius attingunt, alia contra minora exiſtunt. Spina, & coſtæ foliorum, ſive nervuli, pauſo prominent, &, ſicuti in aliis plantis, ex diſtributione vaſorum pedunculi formantur, ac per integrum folium extenduntur. An folia ſint margine ſciſſo, an integro, nihil neque apud PISONIVM, neque MARGGRAVIVM * reperitur. Celeberrimus Bo-

* In *Hiſtoria plantarum Braſiliæ.*

tanicus, Reverendus Pater Ordinis Minorum; Dn. PLVMIER, * Regis Galliæ apud Insulas Americanas Botanicus, qui tribus diversis temporibus hanc novi orbis partem visitavit, quoad folia tres Caapebæ nobis communicavit species: Una possidet folia, utrinque glabra; secunda quæ rarior est, folia profert lanuginosa, & albicantia; tertia in Insula S. Dominici reperitur, & modo differt a prioribus pedunculi foliorum exiguitate & brevitate.

Omnes vero ex eodem loco, quo folia progerminant, emittunt ramusculos, dimidium pedem longos, minoribus foliis coopertos. Ad horum foliorum pedunculos etiam pedunculus provenit, sesquidigitum longus, flosculum sustinens, pallide flavescentem, octo foliis constantem **, sequenti modo. Quatuor superius apposita folia sunt parva, obrotunda. His substat amplum subrotundum. Adhuc magis inferius tria parva, alternatim posita, deprehenduntur. Dn. PLVMIER florem *Caapebæ* vocat rosaceum, ex quatuor scilicet petalis, in orbem positis, constantem. Ex huius floris medio surgit pistillum. Post defluxum florum, baccæ rubræ, corallium æmulantes, magnitudine seminis orobi, succedunt, quæ baccæ a baccis caprifolii nostri vix differunt. Ex hac descriptione apparet luculenter, quod flos *Caapebæ* sit tetrapetalos, semen vero pulposum. Nam baccas profert, in quibus semina delitescunt. Reliqua quatuor folia constituunt perianthium duplex; unum integrum, & secundum, quod inferius est, ex tribus phyllis compositum ***.

Radi-

* In Tractatu *de Novis plantarum Americanarum generibus*, p. 33.

** Hinc ab Illustri RAIO *Caapeba* inter plantas anomalas refertur, & vocatur convolvulus Brasiliensis flore octopetalo monococcos. In Oper. botanicis, Tom. II. Lib. XXIIX. sect. 3. Cap. 2. p. 1331.

*** De calyce florum multiplici legi meretur celeber. IVLIVS PONTEDERA, Patavinus Botanicus, in sua erudita *Anthologia*, Lib. I. Cap. V. VIII. & IX. item Dissertat. botanica secunda, p. 33.

Radicis Parreiræ bravæ, (cuius formam & notas characteristicas in priori programmate proposuimus,) odor nullus est, sapor vero ad dulcedinem vergit, cum aliqua tamen amaritie coniunctam. Color fuscus est. Illustris Dn. GEOFFROY duplicem speciem vidit huius radicis; unam extus nigricantem, intus fuscam, alteram extus albam, intus coloris citrini. Prior magis in usu est, & communissime in officinis prostat. Ita enim loquitur, in Histor. Acad. Reg. Paris. anno 1710. pag 75. *La premiere, qui est la plus en usage est brune par de hors, & d' un jaune brun en de dans. La 2de est blanche par dehors, & en dedans d' une jaune citrin. Celle-ci est de couleur de chair lorsqu' elle est recente, & pâlit avec le temps. Toutes deux sont d' une substance dure, & cependant poreuse & spongieuse. Elles ont un goût amer mêlé de quelque legere douceur, comme la Reglisse.*

Usum quod attinet; secundum sententiam Brasiliensium, fere universalis est. Etenim in usum vocatur in omnibus morbis tartareis, in primis in affectibus renum, atque vesicæ. Calculos, saburram, atque purulentam materiam suaviter educit, & ulcera, ibi nata, abstergit, mundificat, atque consolidat, urinam suppressam promte restituit, & in colica nephritica dolores mitigat, quos effectus laudatus Ill. GEOFFROY, l. c. observavit, & ideo ulterius eam commendat in omnibus affectibus pituitosis, asthmate humorali, in ictero, imo ipso sputo cruento, dysenteria, angina, ac febribus malignis. Alii quoque hanc radicem laudant in scorbuto, obstructionibus, hydrope, imo vermibus ipsis.

Modus utendi sequens est: 1) Datur in substantia pulverisata radix, ad drachmam semis. Aut 2) uncia una coquitur in vasculo stanneo tecto, vel cum libra una aquæ, vel per se, vel, uti HELVETIVS vult, addendo scrupulum semis salis ammoniaci. Qui huic decocto addere vult herbam *acmella Zeilanica*, radicem *ninzig*, sive *gin-sem*, vel quoque ipsum *linum catharticum*, non errabit. De tali decocto filtrato singulis

quatuor horis epotantur tres unciæ. Alii exinde præparant 3) *Extractum*, quod fieri poteſt, quoniam in radice nullus odor percipitur, & ideo ad fixiores plantas referri poteſt. 4) HELVETIVS *balſamum nephriticum* ex Parreiræ bravæ pulvere compoſuit. Rec. olei ſcorp. Matthioli lib. I. balſ. copaiv. unc. 5. balſ. ſulphuris terebinth. unc. 4. ſtyrac. liquid. unc. 2. rad. Parreiræ bravæ, ſubtilisſime pulveriſatæ, libr. ſemis, ſalis ammoniaci unc. 2. vini Hiſpan. lib. 2. Hæc mixta, leni igne coquuntur, agitando lignea ſpata, ad vini conſumtionem. Hoc facto, filtrantur omnia, adduntur balſ. Peruv. nigr. unc. 3. De hoc balſamo datur drachma ſemis pro doſi, cum vino albo, vel ptiſana. Hoc balſamum in omnibus fere affectibus internis, & externis, ab Helvetio laudatur. Alii & 5) *Eſſentiam* ex pulveriſata Parreira brava componunt, recipiendo 1) raſur. Parreiræ bravæ unc. ſemis, gummi lign. guajac. drachm. ſem. Tinctur. tartari, vel antimonii, unc. 4. olei lign. ſaſſafr. ſcrup. ſem. Vel 2) rad. Parreiræ bravæ unc. ſem. caſtor. drachm. ſem. ſpir. nitr. dulc. unc. 4. Interim tutius eſt, ſecundum omnium Medicorum ſententiam, infuſum modo, atque decoctum, cum aqua ſimplici, propinare.

Sed hæc proferre volui occaſione diſſertationis inauguralis clarisſimi atque doctisſimi artis medicæ candidati,

IOANNIS GODOFREDI HELCHERI.

Lucem is aſpexit in celebri urbe Sileſiæ, Suidnicii, anno ſeptimo huius ſeculi, die 8 menſ. Octobr. Patrem aſſecutus eſt virum excellentisſimum atque experientisſimum, Dn. Dr. IOANNEM HEINRICVM HELCHERVM, Medicum, & Philoſophum celeberrimum, nec non Acad. N. C. ſocium, in Metropoli Sileſiæ Practicum felicisſimum, nunc pie defunctum; matrem vero omnium virtutum genere ornatisſimam fœminam, ROSINAM BARBARAM FVCHSIAM. Horum optimorum parentum cura præcipua fuit, ut filiolus ſtatim ab incunabulis pietate, moribus decentibus, & litterarum doctrinis probe tinge-

tingeretur. Ideo eum commiserunt manuductionibus privatorum praeceptorum, posteaque eum non tantum miserunt in scholam publicam Suidnicensem, sed & deinceps in illustre Gymnasium Mariae Magdalenae, quod Uratislaviae floret. Adiit deinceps Lipsiam, ubi sub moderamine prudenti clarissimorum virorum, Dn. CRELLII, DRESSELII, & ORTLOBII, exoptata in humanioribus & elegantioribus litteris iecit fundamenta. Anno vigesimo quarto celeberrimam salutavit academiam Viadrinam, ibique a viro Magnifico, Dn. NICOLAO WESTERMANNO, eloquentiae P. P. O. celeberrimo, t. t. summam regiminis academici tenente, in numerum civium academicorum receptus est, commisitque se simul doctrinae celeberrimi Dn. Dr. & Prof. prim. a BERGEN, atque totius medicinae systema, secundum ductum institutionum Boerhaavii, eo duce absolvit, & simul eum, chirurgiam, chemiam, materiam medicam, & praxin tradentem, omni sedulitate audivit. His iunxit collegia celeberrimi Dn. Dr. & Prof. GOELICKII botanica, chirurgica, de praescribendis formulis, materiae medicae, de methodo medendi, de morbis infantium, atque mulierum, & insuper in praxi medica clinica, & casuali, ab eo institutus est. Peracto in hac academia quadriennio se contulit Berolinum, ea intentione, ut in anatomicis, chirurgicis, & chemicis enchirisibus sub ductu Professorum collegii medici Regii maiorem notitiam sibi acquireret. Laudat Illustrium virorum, & Regiae Maiestatis Borussicae Consiliar. aulic. Dn. Dr. BVDDEI, & Dn. Dr. ELLERI, favorem, candorem & patrocinium. Horum primum physiologiam exponentem, & ingentem numerum cadaverum humanorum utriusque sexus elegantissime secantem, praeparantem, & demonstrantem vidit. Secundum autem, omnium morborum, tum externorum, tum internorum, theoriam, & praxin explicantem, sedulo per annum audivit. Veneratur porro singularem favorem atque industriam Excellentissimorum Chemicorum, Dn. Dr. POTT, & Dn. Dr. NEVMANNI. Ex

his

his limpidis fontibus veræ chemiæ theoriam & praxin, multis comprobatam experimentis, hausit. Clarissimum & Experientissimum chirurgiæ professorem Dn. SENFFIVM, operationes chirurgicas in cadaveribus humanis nitidissime & accuratissime instituentem, demonstrantem vidit. Anno exacto almam nostram Salanam intravit, & a Magnifico Dn. Pro-Rectore, BRVCKNERO, ICto Consummatissimo, in numerum civium relatus est. Visitavit hic Magnifici Dn. Pro Rectoris, & Dr. HILSCHERI, colleg. physiol. Illustris WEDELII prælectiones public. de obstructionibus, Celeberrimi Dn. Dr. HAMBERGERI institutiones patholooicas, quibus adiunxit meam doctrinam physicam, chirurgicam, anthropologicam, anatomicam, materiæ medicæ, atque chemiæ. Ante aliquot menses, ut in numerum candidatorum a Facultate nostra reciperetur, ea, qua decet, observantia petiit, id quod etiam ei benigne concessum est. In examinibus consuetis eruditionem suam, per sexennium academicum acquisitam, abundantissime nobis probavit. Restat tantummodo Dissertatio inauguralis, quam de *Auro*, meo sub Præsidio, publice, die XXI. Ian. defendendam, in se suscepit. Ad quem actum solennem Magnificum Dominum academiæ Pro-Rectorem, Magnificum Dominum Pro-Rectorem designatum, Illustrissimos Dominos Comites, Patres academiæ venerandos, hospites omnium dignitatum honoratissimos, ac generosam & nobilissimam dominorum commilitonum coronam, nomine collegii mei, observanter, officiose ac peramanter invito. Ienæ P. P. die XX. Ian. M DCC XXX.

(L.S.)